



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola I. Ad Tornacenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

EPISTOLÆ III.

Eugenij huius nominis tertij, Romani Pontificis, ex memorato codice M. S. S. Amandi collectæ, & nunc primum in lucem productæ,

EPISTOLA I.

Ad Tornacenses,

De constitutione noui Episcopi Tornacensis, & separatione eiusdem Episcopatus, à Nouiomensi.

EVgenius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis Filijs, Clero & populo Tornacensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Tornacensis ecclesia in proprij Pastoris absentia à longis retrò temporibus plurimum laborauit, & sicut multorum Religiosorum, & discretorum Virorum attestatione cognouimus, tam animarum quam corporum damna plurima, & grauià detrimenta sustinuit. Audiuius enim, multa millia hominum in eodem Episcopatu, qui Episcopum nunquam viderunt, sed quasi Episcopum nò habentes, absque vlla sacri chrisimatis vnctione (quam fideles contra diaboli insidias pugnaturi per manus Episcoporum suscipiunt) de presenti sæculo migrasse. Vnde nos officij nostri debito, & multorum Religiosorum de partibus vestris, crebris exhortationibus prouocati, & charitatis zelo succensi, tantis malis occurrere, domino Authore, decreuimus; atque Fratrum nostrorum communicato consilio, dilectum filium nostrum, Anselmum Abbatem Sancti Vincentij Laudunensis (Spiritus Sancti gratia inuocata) vobis in Episcopum consecrauimus. Eundem itaque cum gratia Sedis Apostolicæ, & litterarum nostrarum prosecutione, ad vos remittentes, per Apostolica scripta Vniuersitatem

vestram rogamus, monemus, atque præcipimus, quatenus ipsum reuerenter suscipiatis, diligatis, & honoretis, eique tanquam proprio Pastori, & animarum vestrarum Episcopo, obedientiam ac reuerentiam humiliter exhibeatis. Nos autem illos qui occasione Episcopatus Tornacensis, Fratri nostro, S. Nouiomensi Episcopo, sacramento vel fidelitate, seu obedientia adstricti sunt, ab eadem fidelitate, & iuramento, vel obedientia, Apostolicâ autoritate absoluius: & vt præfato Fratri nostro Anselmo Episcopo, eadem fidelitate & obedientia teneantur, præcipimus. Si quis autem ei rebellis & inobediens esse præsumperit, sententiam qua idem Frater noster Episcopus canonicè in eum promulgauerit, nos, authore domino, ratam habebimus. Data trans Tyberim, Idibus Martij.

EPISTOLA II.

Ad Ludouicum Regem Francorum, de eadem re.

EVgenius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, charissimo in Christo Filio, Ludouico illustri Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Oportet nos pro his qui nostro Regimini, disponente domino, commissi sunt, sollicitos esse, & de ipsorum salute, tanquam de nostra propria cogitare. In extremo namque examine, si circa illorum salutem negligentes fuerimus, reddidit sumus pro ipsis domino rationem. Tornacensis ecclesia, sicut te ignorare non credimus, à longis retrò temporibus, proprio Pastore caruisse dignoscitur. Vnde, sicut multorum Religiosorum, & discretorum Virorum veridica relatione cognouimus, præter alia detrimenta, multa millia hominum, absque vlla sacri chrisimatis vnctione, quam fideles contra diaboli insidias pugnaturi, per manus Episcoporum suscipiunt, de præ-

Y y 2 sent